

ordinibus et hominibus, nemine excepto, a maioribus nostris regibus Poloniae, praesertim autem^j a divo^k Casimiro antiquo, Ludovico, Wladislao proavo, Wladislao magno patruo, Casimiro avo, Ioanne Alberto et Alexandro patris et serenissimo Sigismundo primo, patre nostro donatas omnino ratas habituros esse servaturos et defensuros, omniaque inique^l ab eodem regno abalienata atque distracta pro viribus nostris recuperaturos et ad unionem regni aggregaturos, nec imminuturos^m fines eiusdem Regni Poloniae, sed acturos potius prolaturusque quoad poterimus. Atque id iusiurandum, ut tum denique daremus quumⁿ adultiorem aetatem attigissemus^o, hoc est, cum quindecimum aetatis nostrae annum egressi essemus. Verum ea lege tamen, ut nihilominus universa eiusdem Regni Poloniae potestas, imperium et iurisdictio poenes serenissimum parentem nostrum esset quoad is viveret. Id vero tempus praescriptum quum^p advenisset, iuravimus publice in summo templo in arce Cracoviensi quarta die Februarii anni praesentis [4 II 1537] verbis conceptis ad sancta Dei Evangelia in eam sententiam cuius supra meminimus. Et serenissimi parentis nostri fidem pro nobis datam liberavimus ceterum, ut pactis illis et condicionibus quibus^q ad nos regnum^q delatum est, stemus et ne idem illud regnum nostrum ullis turbis atque difficultatibus innoveremus^r memores paternorum beneficiorum officique nostri atque benevolentiae singularis erga nos omnium^s nostrorum subditorum^s recipimus, spondemus et regio verbo nostro pollicemur primum^t omnia nos quaecunque iuravimus omnibus subditis nostris incolis Regni Poloniae cuiuscunque ordinis et condicionis fuerint absque ulla controversia servare, defendere et exequi velle. Deinde nihil nos imperii neque iurisdictionis in eodem regno vivente serenissimo patre nostro nobis esse usurpaturos neque coacturos quemquam^u invitum et recusantem voluntati iussisque nostris parere. Sed in eiusdem serenissimi parentis nostri potestate quoad victurus est omnia nosque^v ipsos etiam^v esse futuros. Postremo post obitum etiam, qui utinam sero contingat serenissimi patris nostri, neminem praedictorum subditorum nostrorum nobis parere debere, nisi prius ipsis universis, omnia iura et privilegia tam Regni nostri Poloniae et dicionum^w eius communia^w, quam privatarum personarum, aut locorum quorumcunque privata et quasvis libertates, litteras et immunitates a supra memoratis maioribus nostris^x donatas queque deinceps adhuc a serenissimo patre nostro quamdiu vivet donabuntur et constituentur, litteris nostris confirmaverimus atque iuxta continentiam et tenores earundem in debita executione posuerimus. Quae omnia libenter pro viribus nostris faciemus et exequemur. Quod ut certum firmumque sit, signo nostro, quo nunc utimur, litteras hasce consignavimus et manu nostra subscripsimus. Datum Cracoviae sexta Februarii anno Domini ʒ-M°D°XXX°VII^{mo-y} [6 II 1537]. Sigismundus Secundus rex subscripsit.

III. [AKTY DOTYCZĄCE ZWOŁANIA POSPOLITEGO RUSZENIA]

A. Constitutiones sive mandata de protectione^a ad bellum^a facienda et ordine in castris servando articulatum scriptae^b.

Sigismundus Dei gratia etc.^c Universis et singulis dignitariis, palatinis, castellanis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis ac illi vel illis, qui de iure vel consuetudine ad expeditionem generalem obeundam sunt obligati, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Sincere et fideles dilecti. Cum nos reipublicae nostrae cura et sollicitudo tangeret, conventum praesentem indixeramus, animadvertentes graves atque impendentes regni nostri necessitates, id studii et instituti habentes, ut iustam aliquam e re nata publicae rei defensionem

^j vero VL. ^k divis VL. ^l Brak w MK. ^m imminuturos MK2, VL. ⁿ cum VL. ^o attingeremus VL. ^p cum VL. ^{q-q} regnum ad nos MK2, VL. ^r involveremus VL. ^{s-s} subditorum nostrorum MK2. ^t Brak w MK2. ^u quencque MK2. ^{v-v} etiam ipsos MK2.

^{w-w} eiusque communia MK2; eius omnia VL. ^x nostris regibus VL. ^{y-y} millesimo etc. ut supra MK2; 1537 VL. Na tym kończy się tekst VL.

^{a-a} Słowa dopisane na marginesie MK2. ^b W wydawnictwie St. Kutrzeby (SK) tekst ten zatytułowano: Króla Zygmunta I ordynacja wojenna. ^c W SK zamiast etc.: rex Poloniae, magnus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviaeque etc. dominus et haeres.

constitueremus. Verum cum ex multis laboriosisque tractatibus alia defensio subsequi non potuit, eam, quae in manu nostra est, duntaxat expeditionem, scilicet regni generalem, decrevimus, ne ita regnum nostrum omni prorsus cura et defensione viduatum esset. Quia vero in bello cum primis^d requiritur^e, ut omnia decenti ordine fiant, procedant et gubernentur, quandoquidem plerumque rebus bene ac feliciter^f gerendis confusio ipsa et inordinatio tam officere solet et ingentia damna et mala accersere^g, quam hostis ipse, proinde nos innitentes institutis et consuetudinibus praedecessorum nostrorum necessariis de consilio et assensu senatorum regni nostri in hoc conventu nobis assidentium publicari curavimus ea, quae potissimum communem belli rationem et eius salutare commodum respiciunt, ne quisquam sit, qui deinde ignorantiam in explendis eis causetur et praetextat.

De profectione ad bellum.

[1]. Inprimis ut quilibet cum armis pro bellico apparatu decentibus, secundum quantitatem bonorum et facultatum suarum profectionem suam adornet et in hac expeditione serviat, iuxta id, prout sunt omnes et singuli ad hoc obligati, sub privatione bonorum.

[2]. Item ne aliquis miles seu nobilis sive duce et ordine proficisci et vagari audeat, sed omnes cum castellanis suis usque ad locum designatum iuxta ordinationem in statuto nostro descriptam proficiscantur, oboedientiamque ipsis castellanis, quousque palatino seu capitaneo exercitus per castellanum praesentabuntur administratioque eorum resignabitur, praestent. Secus facientes more debito secundum dispositionem statutorum regni punientur. Ubi autem castellani officium suum facere neglexerint vel in profectione damna non prohibuerint aut facere permiserint vel talem seu tales damnificatores nobis non detulerint pro iisdem rebus coram nobis respondere damnaque passis solvere ac pro his satisfacere tenebuntur. Nec debebunt ipsi nobiles victum sibi recipere, sed castellanus e suis mittet qui prospiciet, ne quid superfluum vel gratis recipiatur per quemquam.

[3]. Item ut nemo nobilium in villis sive spiritualium sive saecularium seu quarumcunque personarum stationem faciat, sed in campo^h et aliquas^h rapinas tam in eundo et redeundo in equis, pecudibus, pecoribus seu aliis quibuscunque et quocunque nomine vocentur rebus neque in silvis, gais, pro aedificiis valentibus damnum facere audeat. Secus faciens iuxta probationem seu iuramentum domini villae seu illius cui damnum fuerit illatum, de hoc requisitus coram nobis respondere damnumque cum poena iam olim ad id instituta, semota omniⁱ exceptione et dilatione solvere tenebitur. Super qua iniuria damnum passus coram officio castrensi, cui subiacet, iuridicam probationem faciet, quo comperto visaque tali probatione nos de damnificatore condignam faciemus facereque tenebimur iustitiam.

[4]. Ne autem homines ad expeditionem bellicam euntes in venditione rerum pretio plus nimio graventur, ut quae possit indemnitati hominum ex omni parte provideri, quo ad bellum proficiscentes necessarium victum habere possint, tum etiam hii apud quos victus recipietur, minorem iacturam sentiant. Innitentes antiquis constitutionibus^j statuimus, ut nemo audeat ad bellum proficiscens quicquam vi et violenter et sine solutione recipere, sed cum scientia castellani aut in praesentia famuli sui ad hoc missi. Bovem pro media marca, vaccam pro sedecim grossis, exceptis bobus rhedalibus et vaccis^k mulgibilibus, quae huic constitutioni non subiacent nec debent aliter emi, nisi iuxta forum factum, tum porcum pro duodecim grossis, mutonem pro tribus grossis, aucam pro medio grosso, cassulam tritici pro grossis quattuor, cassulam siliginis pro tribus grossis, et cassulam avenae pro duobus grossis, coretum avenae pro uno grosso, foenum, quantum unus equus portare seu trahere potest, uno grosso, quod duobus equis, duobus grossis, quod quattuor equis quattuor grossis ement, emptasque res huiusmodi solvent.

^d imprimis SK. ^e reperitur SK.

^f fideliter SK.

^g accensere SK. ^{h-h} nec alias SK. ⁱ omnium SK.

^j consuetudinibus SK. ^k vaccisque SK.

¹ Por. wyżej, nr XVII, I, pkt 9 — *sejm walny piotrkowski 1510*, De progressu ad bellum oraz nr XXIX, I, pkt 1 — *sejm walny bydgoski 1520*, Motio generalis belli, oraz nr XXXII, I, pkt 5 — *sejm walny piotrkowski 1523*, De progressu ad bellum.

[5]. Item in¹ praediis spiritualium aut nobilium nihil invitis dominis aut procuratoribus eorum accipi debet, verum ubi necessitas coegerit, ea, quae ad victum pertinent, poterunt modo praemisso cum scientia tamen castellani emi.

[6]. In civitatibus vero et oppidis, in quibus res ad victum spectantes emi et cum aliquali lucro revendi solent, aestimatio statuta locum habere sine magno subditorum nostrorum detrimento non posset. Proinde decernimus, ut in talibus locis castellani aliam rationem ineant aestimandarum rerum, nempe ut cives et oppidani non maiori neque leviori, quam quo ipsi coemerunt, pretio in hac reipublicae necessitate proficiscentibus ad bellum res praefatas vendant seu vendere cogantur. Ne^m autem homines onerentur et indebite damnificentur in locis, ubi statio facta fuerit, victus moderatus iuxta praesentem hanc constitutionemⁿ recipiatur. Ne alius aut maior nisi qui pro illo die sufficiet, ut eo modo cum minori hominum iactura et detrimento victus habeatur gravaminique et inopiae utrinque^o provideatur.

[7]^p. Item ne spirituales in suis bonis possessionibusque et facultatibus damnificentur.

[8]. Statuimus ut quilibet spiritualis pro damno illato coram capitaneo sive maiestate nostra non alias, ac si pro violentia domestica, iuxta veteres constitutiones², quibus nos innitentes id ipsum decernimus, iniuriam prosequatur et iustitiam promptam obtineat. Nos quoque de quolibet tali more castri iudicium faciemus.

[9]. Item nemo audeat foeminas quascunque violare sub poena simili.

[10]. Item nemo audeat ecclesias, res ex eis auferendo, violare aut spoliare sub poena vitae.

[11]. Item nemo audeat apes effringere, piscinas expiscari, sub gravi animadversione arbitrio nostro facienda.

Ordinatio, secundum quam omnes in castris se conservare debent.

[1]^q. Et quoniam inutilis esset exercitus, etiamsi sit numerosus, ubi non esset in omnibus legitima processio^r ordoque bonus non observaretur et disciplina militaris non esset, idcirco dum iam ordo castrorum et acierum factus fuerit, ne homines per imperitiam seu ignorantiam aliquid tale committant, per quod periculum vitae seu gravem animadversionem incidant et subeant, idcirco infrascriptas constitutiones^s ut necessarias praesentibus litteris nostris publicandas censuimus, omnibus denunciando ac committendo ut eis cognitis ita se gerant, ne inoboedientes reperiantur et sibi ipsis periculum afferant neve ad condignam animadversionem, ubi delinquerint, perveniant.

[2]^t. Imprimis autem, ut circa ordinationem acierum quilibet nobilis se statuatur. Secus faciens bonis privabitur. Item quilibet miles pro bellica expeditione servire obligatus, ut non alibi, nisi sub suo proprio vexilio terrae seu districtus illius, in quo bona eius consistunt, locare se praesumat, sub eisdem^u signis stare teneatur, sub poenis debitis et animadversione.

[3]. Item ne servitium bellicum ob famulitium, quo plerique nobiles ad bellicam expeditionem ratione bonorum quae habent astricti, senatoribus et aliis baronibus regni nostri sunt addicti, imminuatur^v, decernimus, ut tales pro facultate bonorum, quae habent, expeditionem ultra equitatum, quo suis dominis militant, in equis et armis decentibus facere non praetermittant, sub amissione bonorum suorum.

[4]. Item ut nemo praeter maiestatis nostrae voluntatem et admissionem de bellica ipsa expeditione domum redire audeat sub privatione bonorum, quos, acsi absentes essent^w, puniendos esse decrevimus decernimusque et hoc extra belli aleam. Ubi vero aliquis tempore necessitatis et instantis pugnae absque consensu nostro discesserit, honore privabitur.

[5]. Item post locationem castrorum nemo audeat^x alibi locationem facere, nisi in castris ita, prout a maiestate nostra seu capitaneo exercitus nostri cuiquam assignatum fuerit^y.

¹ Brak w MK2, wyraz dodany przez SK. ^m W tym miejscu SK rozpoczął punkt [7]. ⁿ institutionem SK. ^o Lub utrumque.

^p Cale to zdanie SK dołączył niżej do punktu [8]. ^q SK nie wyodrębnił tego akapitu jako nr [1], lecz potraktował go jako wstęp do kolejnego ustępu. ^r Lub progressio. ^s condiciones et constitutiones SK. ^t Punkt ten SK wyodrębnił jako [1] i oznaczył następnę zdanie jako punkt [2]. ^u eisdemque SK. ^v diminuatur SK. ^w esset MK2. ^x Brak SK. ^y fuerit, audeat SK.

² Por. wyżej, przypis 1.

[6]. Item post ordinationem acierum quilibet locum suum teneat et observet, prout unicuique in acie seu exercitu assignatum fuerit, sub privatione bonorum.

[7]. Item rem perditam nemo audeat ultra quam per noctem apud se servare et retinere, sed capitaneo exercitus, ubi non constaret, quis sit dominus rei perditae, tales res praesentare teneatur, ut quilibet res suas facilius possit invenire et rehabere. Verum ubi dominus rei certo testimonio apparuerit, res perdita ei sine mora restituatur. Secus faciens, ubi de hoc convictus fuerit, ut reus furti punietur.

[8]. Item pro pabulis seu alimentis acquirendis nemo audeat quoquam mittere seu quicquam recipere, quosque cum scitu capitanei et iuxta eius ordinationem et informationem, qui superintendentes mittet, ut in pabulis acquirendis bonus modus et ordo observetur^z ut cuilibet necessitati satisfiat.

[9]. Item cum omnia iura in homines factiosos seditiososque animadvertant, cum nulla iura et aliquis ordo subsistere posset, nec aliquid rectum et bonum agi et evenire potest, ubi temerarii et seditiosi homines locum haberent vel impune eis omnia facere liceret, talis enim temeritas impunita ceteros omnes abducit in ruinam, idcirco, huic pernicioso malo occurrere volentes, ^{aa}-de consilio senatorum regni nostri statuimus^{aa}, quod si quis seditionem, tumultum, rebellionem conspiracyemve fecerit aut excitaverit duobusque testibus de hoc convictus fuerit, vita puniatur.

[10]. Item si quis seditione aut contentione data opera seu quolibet^{ab} facta gladium evaginaverit, in manu, si autem aliquem vulneraverit, in vita punietur.

[11]. Item in proficiscendo iuxta castr^{ac} metationem factam ordinem curruum nemo audeat interrompere, sed quilibet, ut ei assignatum fuerit, locum suum tenens proficiscatur, sub gravi animadversione.

[12]. Item in proficiscendo ordines servant riteque et exercitualiter procedant nec vagantes discurrant, sed agminatim quilibet cum sua turma proficiscatur, sub poena arbitrio praefecti exercitus infligenda.

[13]. Item sive in stationibus sive in proficiscendo ne clamores faciant, sed, ut decet, ordinatim et silenter procedant, sub animadversione.

[14]. Item in castris post datam tesseram seu signo per sonum tubae dato nemo audeat ex pixidibus iaculare, clamores facere sub gravi animadversione.

[15]. Item nemo audeat quempiam castra sequentem, praesertim vero hos, qui victum post castra ducunt, violare nec quicquam ab eis per vim auferre, sub poena vitae.

[16]. Item si quis oblitus famae et virtutis capitaneo et officialibus ad bonum ordinem in exercitu faciendum institutis oboedire, ut par est necessitasque id exigit, ut summa oboedientia illic, ubi maius periculum vertitur, praestetur^{ad} disciplinaque militaris diligenter observetur, oboedientiam^{ae} debitam facere noluerit rebellionemque seu aliquem tumultum ob hoc fecerit aut excitaverit, vita punietur.

Quocirca vobis omnibus et singulis, ordinis et status cuiuscunque hominibus, subditis nostris, in ea decreta generali expeditione futuris, praesertim vero palatinis et castellanis regni nostri severissime mandamus, ut omnia suprascripta in eorum articulis, punctis et clausulis, ita ut superius descripta sunt, ad omnium, quorum interest, notitiam deduci et tam in conventibus particularibus, quam alias ubique publicari faciatis. Atque omnia, quatenus officium cuiuslibet requirit, praesertim in proficiscendo, firmiter et inviolabiliter et ipsi observetis et ab aliis omnino observari faciatis, sub poenis et animadversionibus memoratis irremissibiliter per nos ad aut summum exercituum nostrorum capitaneum se alios officiales a nobis in hoc constitutos^{af} infligendis. Datum in conventionione generali regni Cracouie sexta Februarii anno Domini ^{ag}-millesimo quingentesimo trigesimo septimo^{ag} [6 II 1537], regni nostri anno ^{ah}-trigesimo primo^{ah}. Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis.

^z W MK₂, na skutek uszkodzenia papieru, czytelne jest tylko: vetur. ^{aa-aa} W MK₂: błędny szyk zdania: [...] de consilio senatorum statutimus regni nostri. ^{ab} quomodolibet SK. ^{ac} W MK₂, castra. ^{ad} W MK₂, na skutek uszkodzenia papieru czytelne tylko: estetur. ^{ae} W MK₂, na skutek uszkodzenia papieru czytelne tylko: obe. ^{af} institutos SK. ^{ag-ag} W MK₂: M^oD^oXXXVII^o. ^{ah-ah} W MK₂: XXXI^o.

B. Litterae restium.

Litterae restium primae

Sigismundus Dei gratia etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus ceterisque cuiuscunque status, conditionis et praeeminentiae subditis nostris, bona quaecunque hereditaria, terrestria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere nobis et fideles dilecti! Reversi tamen ex Litwania summa cura atque diligentia laboravimus in comitiis Cracoviae nuper transactis, ut certa aliqua ratio publico omnium ordinum consensu initietur^a constituereturque, quo pacto non solum regni fines defenderentur, verum etiam hostes quidam, qui nobis absentibus regnum nostrum magnis iniuriis affecissent, condignis poenis afficerentur. Verum nihil tamen aliud decerni et statui potuit, quam ut generalis bellica expeditio fieret. Mandamus ergo vobis his primis restium litteris, ut ad istam ipsam expeditionem ab armis et equis et omnibus aliis rebus, quae belli usus postulat, bene parati sitis, ut ad quod tempus et ad quem locum iusserimus tertiis restium litteris, sine omni mora veniatis. Interim tamen iudicia intermittere nolumus usque ad tertias restes. Atque ut has litteras alius ad alium viciniorem transmittat, ultimus vero ad capitaneum loci remittat, neque aliter faciatis sub indignatione nostra et amissione bonorum. Datum Cracoviae, XIX Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo [19 II 1537], regni vero nostri anno tricesimo primo. Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis.

Litterae restium secundae

Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus ceterisque cuiuscunque status, conditionis et praeeminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria, hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem generalem bellicam de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere nobis et fideles dilecti! Mandavimus vobis antea primis restium litteris, quandoquidem generalis bellica expeditio publico omnium ordinum regni consensu in proxime habitis comitiis in hunc annum decreta esset, ut ad eam expeditionem bene armati et instructi essetis. Nunc iterum de more hisce secundis litteris restium mandamus omnino habere volentes, ut equos, arma et cetera ad bellum necessaria pro facultatum suarum modulo bene parata habeatis. Ut cum tertio habuerimus nullam moram interponatis, sed ad eum locum quem tertiis restium litteris constituerimus quo tempore iusserimus, sic uti decet instructi veniatis. Interim tamen iudicia de more peragi volumus. Ne secus feceritis sub amissione bonorum. Datum Cracoviae octava die Martii, anno Domini M^oD^oXXXVII^o [8 III 1537], regni vero nostri anno XXXI^o. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

Litterae universales tertiarum restium

Sigismundus Dei gratia etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus, ceterisque subditis nostris cuiuscunque status, dignitatis, conditionis et praeeminentiae existentibus bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis. Sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti! Declaravimus vobis antea binis universalibus litteris in vim primarum et secundarum restium a nobis emissis, de quo pacto nos praesentibus reipublicae regni nostri necessitatibus et incommodis, quae nobis et eidem regno nostro eiusque

^a Lub: initatur.

incolis ab hostibus Christi nominis et aliis vicinis nostris debiti sui erga nos et hoc ipsum regnum nostrum oblitis struuntur et contechnantur obviam ire et tempori providere oporteat exigentibusque rationibus conventus regni nostri generalis proxime praeteriti, in quo omnium senatorum et procerum regni nostri consilio et consensu expeditionem bellicam regni nostri ac subditorum eius generalem decrevimus et instituimus, vos ad arma sumenda et bellum contra eosdem hostes nostros apparandum excitabimus, ut quisque pro facultate bonorum suorum, proque maiestatis nostrae regiae et regni splendore et dignitate ac debito fidei et virtutis suae militaris (quod in vobis vigere non dubitamus) resistendum hostibus nostris et regni nostri atque ad ulciscendas iniurias et damna ab eisdem nobis et regno nostro illata summa voluntate et strenuo animo insurgeret et se appararet. Nunc igitur rursus ad hoc ipsum bellum (quod felix atque faustum maiestati nostrae vobisque omnibus ac regno nostro fiat) vos et quemlibet vestrum hisce nostris tertiarum restium litteris excitamus et convocamus, mandantes et omnino habere volentes, ut iam tandem armis et equis aliisque rebus ad militarem manum pertinentibus bene et sufficienter pro suis quisque facultatibus et bonorum exigentia instructi, nos ad terras et provincias nostras Russiae et Podoliae sequamini et apud castrum et oppidum nostrum Trebowla ad diem Visitationis Beatae Mariae Virginis Dominae nostrae, quae erit secunda Iulii [2 VII 1537] adsitis, atque in castris illic nostris pro eodem die et termino constituamini, ut inde ordinibus instructis et constitutis (laudis et gloriae maiorum vestrorum memores) possitis recte et ordine reliqua aggredi, quae ad regni nostri et subditorum eius defensionem et dignitatem pertinebunt. Ut autem in proficiscendo ad exercitum et locum a nobis designatum eam actionem vestrarum moderationem in rebus omnibus teneatis et conservatis, quam debitum et professio militaris, voluntasque et mandatum nostrum requirunt, indicendum duximus et indicimus de more et consuetudine vobis in palatinatu Cracoviensi et districtibus eius existentibus conventum particularem in^b ad diem^c atque volumus, ut proficiscamini ibidemque mandata nostra, quae ad vos de profectione vestra facienda et ordine in castris servando articulatum dedimus, audiat et intelligatis ad secundum ea vos una cum castellanis vestris, cum quibus proficisci debeatis conservare omnino studeatis pro fide debitoque vestro ac sub gravi indignatione nostra bonorumque omnium amissione aliter facere non ausuri. Has autem litteras unus ad alium sibi viciniorem transmittatis, ultimus vero eas capitaneo loci repraesentet. Datum Cracoviae feria secunda intra octavam Paschae, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo [9 IV 1537], regni vero nostri anno trigesimo primo. Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis.

IV. MANDATUM CONTRA CORTISANOS

A. [*Metryka Koronna*].

Sigismundus etc. Universis et singulis regni nostri capitaneis et officialibus quibuscunque tam terrestribus quam civilibus eorumque vicesgerentibus ubilibet constitutis, sincere fideliterque dilectis gratiam nostram regiam. Quamvis iam dudum et statutis regni nostri et privilegiis apostolicis satis cautum et depositum sit, quae et quales personae cum ad cathedrales ecclesias, tum etiam ad collegiatas recipi debeant. Quia tamen nonnullorum temeritas

B. [*Księga płocka*].

Personaliter constitutus coram praefato vicecapitaneo et ad acta praesentia Castri Plocensis nobilis Sigismundus Conarski de Machczino obtulit litteras Sacrae Regiae Maiestatis infrascriptas, sigillo regio mediocri subimpressas, non viciatas nec cancellatas, sed prorsus omni vicio carentes, petens easdem in acta praesentia actuari et inscribi admitti. Ed dominus vicecapitaneus easdem litteras cum ea, qua debetur, reverentia, susceptis,

^b W rękopisie pozostawiono puste okienko w celu wpisania nazwy miejscowości. ^c W rękopisie pozostawiono puste okienko w celu wpisania daty.